Wosiński Stanislai: Solea Equitis Sarmatici i. e. Conclusiones et Corollaria physica Aristotelicae et Thomisticae doctrinae conformia.

SOLEA
EQVITIS SARMATICI,
Cruce, Alite, & aureo exornata annulo.

IN

Stagyriteo Cursus Philosophici VLADISLAVIANI Stadio

Excussit

Conclusiones, & Corollaria Physica, Aristotelicæ, & Thomisticæ doctrinæ conformia.

QVÆ

SVB FELICISSIMO OMINE, ET NOMINE

JLLVSTRISSIMI, AC MAGNIFICI DNI,

D. IOANNIS CASIMIRI

DE KRASNE CORVINI,

KRASINSKI,

SVPREMI REGNI POLONIÆ THESAVRARII,

...msensis, Prasnicensis, Suecensis, &c. &c. GVBERNATORIS.

Publicæ luci, & trutinæ exhibuit

STANISLAVS WOSINSKI, *Artium Liberalium, & Philosophiæ in Almâ Vniuersitate Cracouiensi Baccalaureus.*

Sub Præsidio,

Excellen: & Adm: Rndi M. SIMONIS STANISLAI MAKOWSKI, Collegæ Maioris, CANONICI ad S. ANNAM, Concionatoris in Ecclesiâ Cathedrali CRACOVIENSI, Regij Cursus Vladislauiani Professoris, ac interea Facultatis Philosophicæ DECANI.

Anno à Natâ Sapientiâ 1663. *Die* 18. *Mense Nouembr. Horâ* 1. *pomeridianâ.*

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio.

CRACOVIÆ,

Apud SCHEDELIOS, *S. R. M. Typographos.*



Quàm benè conueniunt, & in vnâ sede nitescunt
Et Solea, & Sacra Crvx, consociata sibi:
Hæc tamen ornat Avis, quæ fuluum portat in ore
Annellvm, clarum Nobilitatis opus.
Krasiniana Domus, Soleatos Martis alumnos
Edit, & insignes integritate viros:
Eius Fama, velut volucris circumuolat orbem,
Prædicat eximium laudis vbiq; decus:
Annvlvs æternos virtuti spondet honores,
Aureus, auriferos signat in orbe dies.

AD ILLVSTRISSIMVM
AC
MAGNIFICVM DOMINVM,

D. IOANNEM CASIMIRVM

DE KRASNE CORVINVM,

KRASINSKI,

SVPREMVM REGNI POLONIÆ THESAVRARIVM,
Łomſenſem, Praſnicenſem, Succenſem, &c. GVBERNATOREM,

Dominum, & Patronum longè Ampliſsimum.

NON mihi multùm laborandum, aut cogitandum venit, quem mea præſens Quæſtio ex penetralibus Philoſophiæ Naturalis Ariſtotelicæ deprompta adijtis, ſibi aſumat Patronum, & Defenſorem ILLVSTRISSIME DOMINE. *Ipſa enim clariſsima peruetuſtæ Familiæ Tuæ inſignia, cum auidioribus conſpexiſſem luminibus, protinùs ex ijs indubitata felicitatis meæ collegi indicia, & perſpexi, ſic eſſe honorum irradiata ſplendoribus, vt nihil ampliùs è terris addi illis poſſe videatur. Ne tamen meus tantâ decorum multitudine obrutus quieſcat animus, & ab incæpto auocetur curſu libuit Tuam Gentilitiam* SOLEAM, *Sacram* CRVCEM, *& volucrem Apollini conſecratam, & annulatam, tanquam auſpicatiſſima quædum ſigna intueri. Illa inquam* SOLEA *eſt, quæ ſalutarem vſibus Sacerdotum Phœbi elicuit fontem, limpidiſſimam Hippocrenen, de quâ (vt artifex fabularum Antiquitas prædicat poſteris,) ſi quiſpiam non hauſerat, is neutiquam altiſſimum ſcientiarum faſtigium conſcendere poſſe credebatur. Arguta hæc, & acuta Pòëtarum inuenta, Tuæ præludunt* ILLVSTRI SOLEÆ, *quæ ad ampliſſimos in ſtadio gloriæ curſus conficiendos ita conducit, vt nemo Bellatorum ſupremum honoris apicem valeat attingere, niſi priùs fortiter vtatur* SOLEÆ *adiumento. Non hîc recenſeo Illuſtriſſimos Heroas, qui ſuæ Gentilis* SOLEÆ *ambitu, tot præclara laudum, & virtutum incluſerunt ornamenta: non adduco Nobiliſsimi Generis Tui viros altâ mente præditos, quorum* SOLEA *elidendis hoſtium ceruicibus formidabilis erat, dum arduam muneris ducalis in exercitu prouinciam ſuſtinebant. Habuit* SOLEA KRASINSCIANA *Generaliſsimos Duces, Mareſchalcos, Cancellarios, Vicegerentes Principatum, Epiſcopos, ProCancellarios, Caſtellanos, Palatinos, Succamerarios, aliosq́; innumeros ſago, togaq́; clariſsimos Patriæ Ciues. Tu* ILLVSTRISSIME DOMINE *expreſsiſti, vel dicam veriùs, ſuperâſti Maiores Tuos, dum non indigna Virtutum Tuarum ſpecimina, ſpectante Sac. Reg. Maieſt. præbuiſti. A primo ſtatim ætatis flore feliciter progreſſus es, quando in ſtadio gloriæ ad inſignes curſus Gentilitiam Tuam* SOLEAM *acuiſti, quando Gratijs, & Muſis manſuetioribus generoſam indolem, ad excelſa natam conſecraſti, & ad acquirendos ſcientiæ fructus, bonis auibus exoticas peragrâſti regiones. Spectauit Batauia tuos præclaræ mentis conatus, deprædicauit Anglia magnanimitatem, opulenta Gallia, mirata eſt heroicos auſus, ſtupuit Italia decentem ex omni parte modeſtiam, Germania ſuſpexit pectus verè Martium tandem Polonia, vt Mater cariſsimum Filium, in ſuum recepit gremium, & honoribus cumulauit. Perſpexit Sereniſsimus, ac Potentiſsimus* JOANNES CASIMIRVS REX *Poloniarum, tuam in conſilijs dandis grauitatem;*

vidit

vidit admirabilem in agendo dexteritatem, iudicium perspicax, prudentiam maturam, & ad publica Reipub: munia sustinenda promptitudinem, atq; Illustrissimam Dominationem Tuam totius Regni THESAVRARIVM *constituit. Munus hoc honorificum, sed onerosum; quamuis summas difficultates, & ingentes secum trahat curas, dum omnibus satisfaciendum est, omnibus prouidendum, ne quid detrimenti Respublica patiatur, prudenter, & gloriosè administras. Quid enim Thesaurarius est, quam quidam promus & condus Thesauri Regis, & Regni, (quæ sunt Corona, Pomum, Sceptrum, & Gladius,) Regalium moderator redituum, priuilegiorum Regni Custos, omnium thesaurorum conseruator, quæstorum publicorum; curatorum, & dispensatorum Regis administrator; rationum Præfectus, stipendiorum militarium, & aulicorum elargitor. Quod quidem officium Tuæ singulari prudentiæ, fidei, & potestati creditum, atq; commissum, ita feliciter disponis, vt amplitudini Regni, vitæ, incolumitati, & libertati omnium nihil deesse videatur. Ardentissimum verò zelum tuum in Ecclesiam, & pietatem in Superos quis non probabit? quam Sacra Illustrissimæ Domus,* CRVX *exprimit copiosè. Sicut enim* CONSTANTINO *Imperatori cœlo missa* CRVX, *tanquam quoddam Ancyle, formidabilis erat Maxentio certanti de summâ rerum cum eodem: ita Natiua Tua* CRVX, *diuersos Ecclesiæ, & Patriæ hostes, multoties debellauit, & triumphauit, quoties suis inseruit labaris lemma hoc:* IN HOC SIGNO VINCES. *Manifestum satis, & expressum exhibuisti pietatis auitæ in* DEVM, *& fidelitatis in Principem argumentum* ILLVSTRISSIME DOMINE, *eo potissimùm tempore, quo subdolus Suecus inuaserat Poloniam; fœdifragus Moschus Lithuaniam, rebellis Cosacus latè patentes Roxolaniæ terras ferro, & flammâ vastauerat, & Transyluanus cupidus Regni Poloniæ cum Hungaro, suppetias ferendo crudeliter grassatus fuerat. Maluisti amplissimas deserere possessiones, omnibus spoliari facultatibus, acerrimos sæuientis fortunæ ictus generoso animo sustinere, vnâ cum veris, & candidis Patriæ Ciuibus, quàm fidem* DEO, REGI, *& Reipublicæ, sacram, vel leuissimo contaminare iuramento. Enitescit insuper in Tuâ Natiuâ sede honoris, sacra, & fida Apollini volucris, quæ non tantùm in vertice Stemmatis, sed etiam in meditullio defert annulum, vt ostendat* KRASINSCIOS *supremos, & medios in Republicâ honores obtinuisse, & pro Libertate, ac Nobilitate (quorum Symbolum est Annulus,) semper decertasse. Sacra Phœbo volucris est, quæ rore cælesti pascit pullos suos: ita* KRASINSCII *multiplici præditi scientiâ, saluberrimis suis consilijs, & munificentiâ suæ subiectos iurisdictioni populos reficiunt. Hæc ergo in vertice* IAGELLONEI *Parnassi conspexi* ILLVSTRISSIMÆ FAMILIÆ TVÆ *exorientia insignia, quorum benefico recreatus aspectu, inde statim felicitatis meæ sumpsi argumenta. Quidquid autem in studio & stadio Philosophico colligere poteram, per ætatem, & vires ingenij, id totum cum debitâ submissione, & obsequiorum meorum promptitudine Illustrissimæ Dominationi Tuæ defero. Fauebis procedenti in arenam Stagyriticam; Te enim, & non alium nactus sum Agonothetem, cui Natura & Fortuna benignior, connasci voluit ea adiumenta, quibus erroneos aliorum cursus, ad exoptatam dirigeres metam. Viue diu felix Patriæ decus, Reipublicæ fulcrum, & Familiæ singulare ornamentum.*

Jllustrissimæ Dominationis Tuæ,

Cliens, & Seruus Humillimus,

STANISLAVS WOSINSKI,

Artium Liberalium, & Philosophiæ

in Almâ Acad. Cracou: Baccalaureus.

QVÆ-

QVÆSTIO
EX
PHILOSOPHIA NATVRALI.

V. Philoſophia Naturalis, Ens mobile radicaliter ſumptum, cuius principia ſunt, Materia, Forma, & Priuatio; ex quibus totum ſubſtantiale compoſitione phyſicâ coaleſcit, à naturâ producibile, mediantibus cauſis ſecundis, tam per ſe, vt ſunt Materialis, Formalis, Efficiens, Finalis; quàm per accidens, vt ſunt Caſus, Fortuna, & Fatum: quæ ſine concurſu cauſæ primæ nihil penitùs operari poſſunt; concurrente tamen etiam interdum arte. Paſsiones verò Motus, Infinitum, Locus, Vacuũ, Tẽpus, Quãtitas, ſiuè

Continuum, tâm ex indiuisibilibus, quàm ex partibus constans, & duratio rerum, tàm successiuarum, quàm permanentium, immò & ipsiusmet Vniuersi, cuius primaria pars est, Cælum cum planetis, & stellis, quod motum ab intelligentia, influit in hæc sublunaria, rectè pro Obiecto adæquato consideret, necne?

CONCLVSIO I.

PhilosophiaNaturalis est verè, & propriè Scientia specierum naturalium, eaq; nullo modo practica, sed purè speculatiua.

COROLLARIA.

I. Vnde res naturales in communi, verè, & propriè cadunt sub scientiam; in particulari verò spectatæ, nonnisi secundariò, & reflexè.

II. Iuxta Conclusiones verè, & propriè scitas, est vna specie atomâ.

III. Licet sit vnus habitus scientificus secundùm speciem infimam; habet tamen plures partes diuersæ rationis, correspondentes diuersis obiectis partialibus, ex quibus iste habitus totalis componitur.

IV. At verò vt ambit principia, & conclusiones, opiniones, & demonstrationes, est multiplex secundùm speciem.

V. Non est propriè subalternata Metaphysicæ; neq; pars potentialis ipsius.

CON-

CONCLVSIO II.

Obiectum adæquatum Philoſophiæ Naturalis, non eſt corpus generabile, & corruptibile, neq; ſubſtantia naturalis, vt comprehendit etiam incorpoream, ſed Ens mobile radicaliter ſumptum.

COROLLARIA.

I. Vnde neq; materia prima, neq; forma, tam ſubſtantialis, quàm accidentalis, neq; compoſitum accidentale, ſunt per ſe ſpecies obiecti Philoſophiæ Naturalis.

II. Et licet naturalitas non diſtinguatur realiter à mobilitate, meliùs tamen obiectum Philoſophiæ Naturalis exprimitur per mobilitatem; quàm per naturalitatem.

III. Ratio ſub Qua obiecti Philoſophiæ Naturalis, eſt abſtractio ab omni materiâ ſenſibili particulari, non tamen communi.

IV. Ratio autem formalis Quæ, eſt mobilitas, quæ ſignificat ipſam radicem motus, & quietis.

V. Non ſignificat autem aggregatum quid ex ente, & motu, neq; ipſum motum, neq; propenſionem ad illum.

CONCLVSIO III.

Principia rerum naturalium ſunt, quæ neq; fiunt ex alijs, neq; ex alterutris, ſed ex ipſis omnia.

COROLLARIA.

I. Hæc definitio conuenit tàm principijs in facto eſſe, quàm in fieri: tàm phyſicis, quàm metaphyſicis, immò & artificiatis.

II. Eius definitum ſunt principia Entis naturalis, vt abſtrahunt à corruptibili, & incorruptibili.

III. Principia rerum naturalium ſunt tria in fieri, duo in facto eſſe; ſuntq; in fieri prima contraria, ſecùs in facto eſſe.

IV. Ratio principij de materia, forma, & priuatione, dicitur secundùm analogiam attributionis; de quolibet autem principio seorsim sumpto, dicitur vniuocè.

V. Physicus potest disputare contra negantes sua principia, illaq; probare; non tamen vt Physicus, sed vt Metaphysicus, aut Logicus.

CONCLVSIO IV.

Datur Materia prima in rebus naturalibus, quæ cùm sit ens in potentia, beneficio formæ existit: estq; subiectum primum vniuscuiusq;, ex quo aliquid fit per se, cùm insit, & non secundùm accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abit vltimum.

COROLLARIA.

I. Materia prima secundùm se accepta, ita est pura potentia, vt nullum omninò includat actum, etiam entitatiuum.

II. Et licet habeat propriam entitatem, condistinctam ab entitate formæ; non habet tamen vllam existentiam propriam.

III. Sed omnem existentiam habet à forma, in genere causæ formalis, in genere verò causæ efficientis, ab agente educente formam de potentia illius.

IV. Tàm naturaliter, quàm de potentiâ absolutâ, implicat materiam primam existere sine omni forma substantiali, & ideò cum sola accidentali forma illam existere repugnat.

V. Forma corporeitatis in materia prima excogitata, est merum figmentum.

CONCLVSIO V.

Materia prima per seipsam, est principium proxi-

proximum, & immediatum receptiuum, aut ſuſtentatiuum quarumuis formarum.

COROLLARIA.

I. Vnde habet appetitum innatum ad formam, eumq; duplicem, videlicet deſiderij, & complacentiæ.

II. Et iſte appetitus eſt materiæ intrinſecus, neq; diſtinguitur ab illâ realiter, ſi accipiatur pro entitate abſolutâ.

III. Si tamen accipiatur pro priuatione, quam connotat, aut pro relatione ad formas, tunc realiter à materiâ diſtinguitur.

IV. Materia horum inferiorum, non eſt in potentia abſolutè ad omnes formas recipiendas, ſed ex ſe ordinatur ad formas determinatas, & in particulari.

V. Vt tamen ſit in actu primo, proxima, & completa potentia ad formam particularem recipiendam, indiget accidentibus, ſeu diſpoſitionibus particularibus.

CONCLVSIO VI.

Materia prima ſecundùm ſe præcisè conſiderata, nullam habet vnitatem ſpecificam poſitiuè ſumptam, eſtq; ingenerabilis, & incorruptibilis.

COROLLARIA.

I. Eſt tamen vna in omnibus ſublunaribus, vnitate ſpecificâ negatiuè.

II. Specificatio autem poſitiua, quam materia habet à forma, ſi materia conſideretur, vt eſt proximè capax exiſtendi, eſt illi intrinſeca, & eſſentialis.

III. Materia prima generatur, & corrumpitur per accidens, hoc eſt, ratione priuationis, & formæ.

IV. Iſte ortus, & interitus materiæ primæ, nihil aliud eſt, quàm manifeſtatio, & occultatio naturæ ipſius.

V. Licet tàm materia, quàm forma, ſint principia intrin-

ſeca corruptionis; tamen materia eſt omninò primum, & radicale principium eiuſdem.

CONCLVSIO VII.

Priuatio propriè ſumpta, eſt per ſe principium rerum naturalium; non tamen priuatio formæ corruptæ, aut corrumpendæ, ſed introducendæ.

COROLLARIA.

I. Priuatio eſt carentia formæ ſpecificæ indiuiduatæ, in ſubiecto apto.

II. Priuatio non eſt quid reale, neq; importat vllam realitatem, aut formalitatem, ſed habetur per non eſſe formæ.

III. Priuatio formaliter ſumpta, eſt ens rationis, ſecundùm id tamen, quod denotat in obliquo, eſt ens reale, & poſitiuum quid.

IV. Priuatio tàm à formâ generandâ, quàm à materia diſtinguitur realiter, ſaltem negatiuè.

V. Priuationes in quolibet ſubiecto, ſunt planè infinitæ.

CONCLVSIO VIII.

Dantur de facto formæ ſubſtantiales in rerum natura, eductæ de potentia materiæ, quarum eſſentia conſiſtit in hoc, quod ſint actus primi materiæ primæ.

COROLLARIA.

I. Licet forma ſubſtantialis, ſit actus ſimplex ſimplicitate compoſitionis, tàm ex materia, & forma, quàm ex genere, & differentia; eſt tamen compoſita ex eſſentiâ, & exiſtentiâ.

II. Solæ formæ materiales rerum generabilium, educuntur de potentia materiæ; Anima verò rationalis, à ſolo Deo creatur.

III. Cæterùm formæ cœleſtes, & elementares, in prima ſui productione, non ſunt eductæ de potentia materiæ, ſed ad creationem totius concreatæ.

IV. Formæ accidentales, connaturales ſuis ſubiectis, quæ ab eorum eſſentia dimanant, & ſimul ſunt cum illis in eodem inſtanti, non educuntur de potentia ſubiecti propriè, ſed potiùs coëducuntur.

V. At verò formæ accidentales, tàm naturales, quàm ſupernaturales, quæ non habent neceſſariam connexionem cum ſubiecto, educuntur de potentiâ ſubiecti.

CONCLVSIO IX.

Formæ ſubſtantiales ante generationem, non præexiſtunt actu in materia, ſecundùm ſe totæ, neq; ſecundùm aliquas ſui partes.

COROLLARIA.

I. Plures formæ ſubſtantiales, non poſſunt ſimul, & ſemel, etiam diuinitùs informare eandem numero materiam.

II. Neq; vna forma ſubſtantialis, tàm ſimul, quàm ſucceſsiuè, plures numero materias totales.

III. Omnes formæ materiales, ſunt diuiſibiles, tàm in partes integrales, & entitatiuas per ſe, quàm in quantitatiuas per accidens.

IV. Non generantur, neq; corrumpuntur per ſe, ſeu tanquàm termini Qui, ſed per accidens, hoc eſt, ratione compoſiti.

V. Vnde forma ſubſtantialis, non eſt tota quidditas entis naturalis, ſed forma totalis, quæ magis oritur à forma ſubſtantiali, quàm à materia.

CONCLVSIO X.

Totum ſubſtantiale compoſitum intrinſecè componitur ex materia, & forma, tanquam ex duabus partibus intrinſecis, & eſſentialibus, & ideò fit ex illis vnum per ſe.

COROLLARIA.

I. Vnio actualis formæ, cum materia, & vicissim materiæ, cum forma, non est vlla entitas realis, aut modalis.

II. Vnio formaliter sumpta, est intima præsentia formæ, materiæ vltimò dispositæ, tanquam actus suæ potentiæ.

III. Et ideò materia & forma, seipsis immediatè vniuntur sibi, absq; vlla intermediâ entitate.

IV. Totum compositum non distinguitur realiter à suis partibus vnitis, & simul sumptis, sed solùm ratione ratiocinatâ.

V. A qualibet tamen parte seorsim sumptâ, distinguitur realiter inadæquatè, tanquam includens ab incluso.

CONCLVSIO XI.

Natura est principium, & causa motus, & quietis, eius in quo est, & non secundùm accidens: quæ definitio est essentialis.

COROLLARIA.

I. Materia, & Forma substantialis, etiam Anima rationalis, sunt veræ naturæ; secùs compositum, seu forma totalis.

II. Ad hoc, vt forma sit natura, sufficit quòd sit principium motus passiuum.

III. Ratio naturæ, solùm analogicè dicitur de materia, & forma.

IV. Natura vt abstrahit tàm à passiuo, quàm ab actiuo principio motus, & quietis, est indemonstrabilis.

V. Similiter vt est principium passiuum; secùs vt est principium actiuum, aut specificatiuè sumpta.

CONCLVSIO XII.

Ars, quæ solùm efficit in subiecto figuram artificiosam, distinguitur à Natura.

COROLLARIA.

I. Ars non causat physicè, propriè loquendo, sua opera, sed tantùm directiuè.

II. Perfecta viuentia, vt homo, bos, leo, per artem produci non possunt.

III. Potest tamen ars concurrere immediatè, ad producendas aliquas substantias imperfectas, tàm viuentes, vt sunt; ranæ, mures, vermes, quàm inanimatas.

IV. Sanitas, & iuuenilis vigor, possunt reparari per artem medicam.

V. Licet posſibile sit, verum aurum per artem Chimicam posse produci; probabiliùs tamen oppositum, & doctrinæ S. THOMÆ magis conforme.

CONCLVSIO XIII.

In omnibus rebus Naturalibus, causæ necessariò admitti debent, quæ sunt quatuor, Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis.

COROLLARIA.

I. Causa in actu secundo est id, ad cuius esse, sequitur aliud; at verò in actu primo, est principium alicuius per modum influxus, ex quo natum est aliquid consequi, secundùm dependentiam in esse.

II. Pater æternus licet sit principium Filij, non est tamen causa, neq; Filius, est effectus Patris.

III. Similiter persona Verbi, non est causa humanitatis assumptæ.

IV. Causa in actu primo considerata, est prior suo effectu, prioritate reali in quo, quæ essentialiter respicit omnes effectus posſibiles in particulari.

V. Et ideò, si vel vnus effectus in particulari esset imposſibilis, etiam ipsa causa foret imposſibilis. Vnde & DEVM imposſibilem asserimus, si vel vna creatura redderetur imposſibilis.

CONCLVSIO XIV.

Materia prima, eſt vera cauſa, habetq; vim ad cauſandum, non per aliquid ſibi ſuperadditum, ſed per nudam, & puram entitatem ſuam ſubſtantialem.

COROLLARIA.

I. Eius cauſalitas in fieri in eo conſiſtit, quòd ſit ſubiectum generationis; in facto autem eſſe, adæquatè conſiſtit in concurſu paſsiuo ad productionem formæ, in receptione, ac limitatione eiuſdem, & in conſtitutione compoſiti.

II. Tres iſtæ rationes aſsignatæ pro cauſalitate materiæ in facto eſſe, ſolùm formaliter, aut virtualiter diſtinguuntur.

III. Forma per hoc præcisè limitatur à materia, quòd illi actu vniatur.

IV. Materia prima reſpectu compoſiti, eſt vera, & intrinſeca cauſa.

V. Reſpectu autem formæ licet ſit vera cauſa; non tamen intrinſeca, propriè loquendo.

CONCLVSIO XV.

Cauſalitas formæ conſiſtit in his tribus, in informatione materiæ, in limitatione eiuſdem, & in conſtitutione compoſiti.

COROLLARIA.

I. Tres iſtæ rationes conſtituunt vnam adæquatam cauſalitatem formæ.

II. Cauſa formalis rectè definitur ab Ariſtotele: eſt ratio ipſius quodquid erat eſſe.

III. Formæ ſubſtantiales expellunt ſe ab eodem ſubiecto, expulſione formali impropriâ.

IV. Formæ verò accidentales expellunt ſe formaliter propriè.

V. For-

V. Forma ſuas paſsiones *phyſicas* non cauſat in genere cauſæ formalis, ſed in genere cauſæ efficientis.

CONCLVSIO XVI.

Cauſa efficiens (quæ eſt id, vnde primò incipit motus) diuiditur in cauſam per ſe, & per accidens: hæc, in principalem, & inſtrumentalem: principalis, in primam & ſecundam: vniuerſalem & particularem: vniuocam & æquiuocam: totalem & partialem: liberam & neceſſariam: eſſentialiter, & accidentaliter ſubordinatam.

COROLLARIA.

I. Cauſalitas cauſæ efficientis, non conſiſtit in actione, vt formaliter dicit relationem, neq; vt importat quandam dependentiam, ſed in ipſo agere.

II. Cauſa principalis per accidentia recepta in paſſo, producit ſubſtantiam. Vnde, quando abſente cauſa principali vniuocâ, generatur effectus, v. g. culex ex putri materia, tunc cauſa principalis illius, eſt cauſa vniuoca, indeterminata, præexiſtens ſaltem poſsibiliter.

III. Licet ſubſtantia, ſit cauſa principalis ſubſtantiæ, non tamen illam attingit immediatè, ſed per accidentia, tanquàm per virtutes ſuas actiuas.

IV. Et ideò forma ſubſtantialis, eſt primum, & radicale principium cauſæ efficientis, ſeu productionis ſubſtantialis, non tamen immediatum.

V. Accidentia verò, non poſſunt eſſe cauſæ principales ſubſtantiarum, licet ab illis in virtute ſubſtantiæ, cauſetur efficienter ſubſtantia, & non ſolùm diſpoſitiuè; ſecùs reſpectu aliorum accidentium ſibi ſimilium.

CONCLVSIO XVII.

Cauſæ creatæ naturales, habent determina-

tam sphæram suæ actiuitatis, vltra quam agere non possunt: quæ sphæra actiuitatis, est intrinsecè determinata per maximum, Quod sic.

COROLLARIA.

I. Hæc sphæra actiuitatis, est maior in agentibus operantibus sine resistentiâ, quàm in illis, quæ cum resistentia contrarij agunt.

II. Causa, seu agens creatum, non potest naturaliter agere in distans, non agendo per commune medium.

III. Agens naturale, in nulla parte sphæræ suæ actiuitatis, potest producere tantam intensionem, quantam in se habet.

IV. Si agat per diffusionem suæ virtutis, satis est, vt passum attingat contactu virtuali.

V. Quòd si agat per virtutem in se existentem, & non diffusibilem per medium, tunc debet immediatè attingere passum, immediatione suppositi.

CONCLVSIO XVIII.

Causa prima concurrit actu, & immediatè ad omnes effectus causarum secundarum: & ideò nullum agens creatum, potest actu operari, sine actuali concursu causæ primæ.

COROLLARIA.

I. Immediatus iste concursus causæ primæ, nihil est aliud, quàm ipsamet actio causæ secundæ.

II. Vnde simultaneus iste concursus causæ primæ, habet se ad actionem creaturæ, sicut se habet concursus habituum supernaturalium, ad voluntatem humanam.

III. Licet Devs immediatè concurrat ad omnes effectus causarum secundarum, immediatione suppositi, tamen causæ secundæ naturales verè agunt, & suos effectus producunt.

IV. Stan-

IV. Stando etiam in principijs Aristotelis, omnes causæ secundæ, tàm liberæ, quàm necessariæ, prædeterminantur physicè à DEO ad agendum.

V. Concursus DEI præuius, non est assistentia DEI extrinseca, neq; motio moralis, sed est vera, & realis causalitas, immissa & relicta in causa secunda, quam mouet.

CONCLVSIO XIX.

Causa instrumentalis propriè loquendo, est illa, quæ agit, vt mota à principali causa.

COROLLARIA.

I. De ratione instrumenti est, agere vt motum à principali causa, & habere virtutem, & actionem præuiam actioni principalis agentis.

II. Non est tamen de ratione eius, quòd eleuetur à principali agente, semper accipiendo ab illo, nouam aliquam virtutem sibi superadditam.

III. Licet virtus, & actio propria instrumenti, sit præuia actioni principalis, non requiritur tamen, vt actione propriâ, physico actu attingat effectum principalis agentis.

IV. Hæc præuia actio instrumenti requiritur, tum vt in illâ actio principalis agentis modificetur ad producendum effectum: tum vt vis, & actio principalis agentis, per instrumentum deferatur ad effectum.

V. Non est tamen necesse, vt causa instrumentalis sit imperfectior suo effectu; sicut Humanitas Christi, non est imperfectior sanctitate, & aqua baptismalis, gratiâ.

CONCLVSIO XX.

Causa Finalis est, cuius gratiâ agens operatur, estq; vera, & realis causa physica, diuisa in finem Cui, & Qui, seu, Cuius gratia: quæ di-

uiſio ſolùm eſt in duas rationes, vnum totalem finem componentes.

COROLLARIA.

I. Ratio formalis conſtitutiua finis, eſt bonitas realis apprehenſa: Vnde finis ſecundùm eſſe reale, finalizat, in ſtatu tamen obiectiuo, ac intentionali.

II. Eius cauſalitas, eſt motio metaphorica, quæ non conſiſtit in ſola oſtenſione bonitatis, nec eſt quid intentionale immiſſum, & impreſſum voluntati à fine, per oſtenſionem propriè bonitatis, ſed eſt ipſamet actio voluntatis, prout eſt à fine.

III. Effectus cauſæ finalis, ſunt media formaliter, ſeu vtilia ad finem, propriè loquendo.

IV. Actiones Dei immanentes, vt volitio, intellectio, non habent veram ſui cauſam finalem; actiones tamen ad extra, vt creatio, conſeruatio, verè propter finem ſunt.

V. Licet in brutis detur æſtimatiua, ſolùm tamen impropriè agunt propter finem; inanimata verò improprijſſimè, & ſolùm vt ſubſtant directioni primi agentis.

CONCLVSIO XXI.

Cauſa exemplaris in communi, eſt id, ad quod artifex inſpiciens operatur; idea verò, eſt forma in mente exiſtens, quam effectus imitatur ex intentione agentis, determinantis ſibi finem.

COROLLARIA.

I. Exemplar, ſiue idea, cui agens intellectuale intendit aſsimilare ſuum opus, nihil eſt aliud, niſi conceptus obiectiuus, hoc eſt, res facienda, vt concepta, & repræſentata intellectui.

II. Vnde idea, non eſt ſpecies intelligibilis, neq; actio intellectus.

III.
IV.
V.
D
ctus
Fatu
I. E
q
n
II.
III.
IV.
V.
M
Qu
ſide
anal

III. In omni agente intellectuali, (nisi forsan casu, & fortuitò operetur,) etiàm in ipso Deo dantur ideæ

IV. Exemplar, siue idea, ad tria causarum genera reducitur, videlicet, ad efficientem, finalem, & formalem.

V. Licet sit vera causa, eius tamen causalitas, non est formalis, aut efficiens, sed formalis extrinseca.

CONCLVSIO XXII.

Dantur in rebus Naturalibus, causæ, & effectus per accidens: vt sunt, Casus, Fortuna, Fatum, & Monstra.

COROLLARIA.

I. Effectus fortuiti, & casuales, tàm respectu Angelorum, quàm cælorum influentium in hæc sublunaria dantur; non tamen respectu Dei.

II. Fatum, est ordinatio diuina earum rerum, quæ sunt futuræ in tempore iuxta suas causas: proinde non est causa, sed aliquid causæ.

III. Fatum includit aliquid absolutum, & aliquid relatiuum, formalissimum tamen illius est, relatio, & ordo.

IV. Illa tantùm subijciuntur fato, quæ subduntur causis secundis, eueniuntq; necessariò, non necessitate absolutâ, sed necessitate infallibilitatis.

V. Monstrum, est effectus naturalis, à rectâ & solitâ, secundùm speciem dispositione degenerans, quod non intenditur per se primò à natura, sed secundariò.

CONCLVSIO XXIII.

Motus non se habet per modum subiecti Quo, ad actionem, & passionem physicè consideratas, sed tantùm vt superius essentiale analogum.

COROLLARIA.

I. Motus, est actus entis in potentia, prout in potentia, sub quâ definitione, solùm comprehenduntur mutationes illæ, quæ sunt actus rei imperfectæ.

II. Motus quatenùs se tenet ex parte actionis, est realiter distinctus à motu tenente se ex parte pasſionis.

III. Actio tamen, & pasſio à motu sibi connexo, distinguuntur solùm ratione ratiocinatâ.

IV. Motus localis subiectatur in mobili, tanquàm in proprio subiecto, distinguiturq; ab actione, & pasſione, & à suo termino ad Quem, realiter modaliter.

V. Actio transiens non subiectatur in agente, sed in passo; distinguitur autem realiter à pasſione.

CONCLVSIO XXIV.

Infinitum rectè diuiditur, in actuale, & potentiale: & aliud est secundùm essentiam: aliud secundùm magnitudinem, & intensionem: aliud secundùm numerum, seu multitudinem.

COROLLARIA.

I. Infinitum est id, cuius secundùm quantitatem accipientibus, semper aliquid accipere extra est, & nunquam idem.

II. Infinitum actu, non potest dari naturaliter in rebus creatis: immò, neq; de absolutâ potentiâ, infinitum creatum secundùm essentiam, magnitudinem, & intensionem, dari potest.

III. Et ideò Devs, non potest aliquam creaturam facere ita perfectam, in quocunq; genere, vt iam perfectiorem producere nequeat.

IV. Nihilominùs posſibilitatem infiniti actu in multitudine, æquè probabiliter sustinemus, ac eius oppositum.

V. Si duo infinita, formaliter accipiantur, tunc vnum altero non potest esse maius; secùs, si sumantur materialiter, v. g. secundùm multitudinem.

CON-

CONCLVSIO XXV.

Locus, non est materia, nec forma, nec spatium inter concauam superficiem corporis continentis contentum, nec relatio continentis ad locatum, nec virtus conseruatiua rei locatæ, nec Vbi circumscriptiuum.

COROLLARIA.

I. Locus, est superficies vltima corporis continentis, qui si conferatur cum re locatâ, est superficies extrinseca; respectu verò corporis locantis, intrinseca.

II. Locus intrinsecè includit immobilitatem, quæ est immutabilitas distantiæ, à partibus mundi fixis, siue realiter existentibus, siue posſibilibus.

III. Superficies respectu loci, habet se per modum subiecti, & materiæ; non verò per modum rationis genericæ. Hinc turris flante vento, permanet in eodem loco.

IV. Locus naturalis super rationem loci vt sic, addit qualitatem conseruatiuam locati.

V. Ad conseruanda tamen corpora mixta, vltra hanc qualitatem conseruatiuam, requiritur influentia cœlestis.

CONCLVSIO XXVI.

Esse in loco aliquid, tripliciter contingit, primò circumscriptiuè, idq; vel in actu, vel in potentia: secundò definitiuè: tertiò repletiuè.

COROLLARIA.

I. Esse in loco circumscriptiuè, omnibus, & solis corporibus competit, exceptâ primâ sphæra, quæ secundùm se totam, non est actu in loco, sed tantùm per accidens, & solùm in potentia, ratione suarum partium.

II. DEVS est in omni loco reali repletiuè; Angelus verò est in loco simpliciter, sed definitiuè.

III. Duo corpora quanta, virtute diuinâ possunt simul esse in eodem loco.

IV. Vnum tamen corpus simul, & semel esse in pluribus locis circumscriptiuè, etiam diuinitùs repugnat; immò, & definitiuè.

V. Cæterùm circumscriptiuè existens in vno loco, potest virtute diuinâ simul; & semel poni, in pluribus locis sacramentaliter.

CONCLVSIO XXVII.

Vacuum, neq; virtute rerum corporearum, neq; virtute Angelicâ dari potest, sed tantùm diuinâ.

COROLLARIA.

I. Vacuum propriè dictum, est locus non repletus; aptus tamen repleri.

II. Dato vacuo, corpus contiguum in eo positum, naturaliter moueri non posset.

III. Supernaturaliter tamen esset in illo posibilis omnis motus, tàm progresiuus, quàm elementaris, & proiectorum, sed non fieret in instanti, verùm succesiuè.

IV. Motus leuium deorsùm, & grauiùm sursùm, ad replendum vacuum, tàm in ordine ad naturam vniuersalem; quàm ad alias causas superiores, est naturalis.

V. Solùmq; in ordine ad naturam particularem ipsorum mobilium, est violentus, idq; non vt sunt partes vniuersi.

CONCLVSIO XXVIII.

Tempus, est verum Ens reale, rectè ab Aristotele definitum: quòd sit numerus motus, secundùm priùs, & posterius.

COROLLARIA.

I. Quatenùs est numerus motus, secundùm prius & posterius,

rius, eſt eſſentialiter, & ſpecificè vnum; materialiter tamen, & numericè multiplex.

II. At verò ſecundùm rationem menſuræ certiſsimæ, & notiſsimæ, ſolùm eſt vnum.

III. Tempore ſolus motus diuiſibilis, & corporeus propriè menſuratur.

IV. Tempus à motu, & quælibet duratio creata, à re durante realiter diſtinguitur.

V. Vnde duratio creata rei permanentis, eſt aliquid ſuperadditum illi, & extra eius eſſentiam, diſtinguiturq; realiter ab exiſtentiâ rei.

CONCLVSIO XXIX.

Tempus abſolutè loquendo, non exiſtit ſolùm ratione inſtantis, ſed etiam ratione ſuarum partium.

COROLLARIA.

I. Tempus non exiſtit ratione alicuius partis determinatæ, ſed indeterminatæ: & ideò in tempore exiſtente, ſolùm inſtans deſignari poteſt.

II. Inſtans temporis diſcreti, realiter differt à tempore diſcreto; inſtans tamen intrinſecum, ab extrinſeco ſolâ ratione differt.

III. Inſtans intrinſecum, in toto tempore ſolùm eſt vnicum; extrinſecum verò multiplex.

IV. Vtrumq; hoc inſtans, nec eſt materia, nec forma, nec efficiens, nec finis temporis continui; inſtantia tamen temporis diſcreti, concurrunt in genere cauſæ materialis ex Qua, ad conſtitutionem illius.

V. Differentiæ eſſentiales inter tempus, æternitatem, & æuum, deſumuntur ex eo, quòd tempus ſit menſura rei omninò mutabilis; æternitas rei omninò immutabilis; æuum partim mutabilis, partim immutabilis.

CONCLVSIO XXX.

Ad hoc vt motus, genere, aut numero vnus,

per ſe terminetur ad aliquod prædicamentum, requiruntur termini poſitiui, inter ſe contrarij; habentes latitudinem ſucceſsiuè percurrendam.

COROLLARIA.

I. Motus per ſe ſolùm datur ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi; ad Subſtantiam verò licet detur per ſe mutatio, motus per ſe dari non poteſt.

II. Vnitas generica motus, deſumitur ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur; Vnitas verò ſpecifica, à termino Ad Quem, formaliter ſumpto: nihilo minùs ad hanc vnitatem requiritur, etiam vnitas medij, ſeu viæ formaliter ſumptæ.

III. Ad vnitatem numericam motus, requiritur vnitas numerica mobilis, termini Ad Quem, & temporis.

IV. Contrarietas motuum principaliter, & vltimatè deſumitur ſolùm ex contrarietate terminorum Ad Quos; à termino autem A Quo, non niſi materialiter, & conſecutiuè.

V. Hinc vnum idemq; mobile, non poteſt ſimul, & per ſe moueri duobus motibus contrarijs, non ſolùm in gradibus intenſis, ſed etiam remiſsis naturaliter.

CONCLVSIO XXXI.

Continuum non eſt omninò ſimplex, ſed compoſitum, tàm ex indiuiſibilibus; quàm ex ſuis partibus, per indiuiſibilia terminatis.

COROLLARIA.

I. Indiuiſibilia, alia ſunt continuatiua, quæ dicuntur quaſi termini communes, quibus copulantur partes diuiſibiles: alia terminatiua; quæ ita rem quantam terminant, vt non ſit diuiſibilis vlterius, & ideò vocantur extrema rei Quantæ.

II. Vtraq;

II. Vtraq; hæc indiuisibilia, tàm continuatiua, quàm terminatiua, dantur actu in continuo, distinguunturq; realiter, & à substantiâ, & à continuo.

III. Dantur verè in continuo partes actu, realiter inter se distinctæ, habentq; veram, & formalem rationem partium.

IV. Partes aliquotæ in continuo, sunt actu finitæ, similiter proportionales in ratione Entis spectatæ.

V. Si tamen partes proportionales, accipiantur in ratione partium, tunc sunt infinitæ actu.

CONCLVSIO XXXII.

Res quæ possunt incipere, & desinere, aut intrinsecè, aut extrinsecè, aliæ sunt successiuæ, aliæ permanentes: aliæ substantiæ, aliæ accidentia: aliæ incipiunt, & desinunt cum motu, & per motum; aliæ sine motu.

COROLLARIA.

I. Res successiuæ, vt motus, & tempus, incipiunt extrinsecè, per vltimum non esse, & desinunt etiam extrinsecè, per primum sui non esse.

II. Qualitates materiales in fieri, incipiunt, & desinunt extrinsecè; in facto autem esse, intrinsecè. At verò formæ substantiales incipiunt intrinsecè, & desinunt extrinsecè.

III. Res permanentes incipiunt, & desinunt intrinsecè: & licet postulent totæ simul produci, possunt tamen diuinitùs produci successiuè, proinde incipere extrinsecè, per vltimum sui non esse, & desinere per primum non esse.

IV. Substantiæ generabiles, quæ generantur ad corruptionem aliarum, incipiunt in instanti, & intrinsecè; substantiæ verò corruptibiles, tàm viuentes, quàm non viuentes, connaturaliter desinunt, per primum non esse, proinde in instanti ipsis extrinseco.

V. In rebus Naturalibus, tàm viuentibus, quàm non viuentibus,

tibus, datur maximum quod sic, & minimum quod non, hoc est, certus terminus magnitudinis, & paruitatis.

CONCLVSIO XXXIII.

Impossibile est, vnum idemq;, siue sit diuisibile, siue indiuisibile, esse simul mouens, & motum respectu eiusdem.

COROLLARIA.

I. Et ideò omne quod mouetur, ab alio realiter distincto mouetur.

II. Indiuisibile, quod nullum habet situm, aut positionem in continuo, vt Angelus, & Anima rationalis, mouentur per se motu secundùm locum.

III. Indiuisibile verò, quod habet situm in continuo, vt punctum in linea, non potest per se moueri vllo motu propriè dicto.

IV. Si tamen DEVS per absolutam potentiam, separaret indiuisibile à continuo, v. g. punctum à linea, tunc licet non posset moueri per se motu continuo; posset tamen motu discreto.

V. Cæterùm, indiuisibile tàm habens situm in continuo, quàm non habens, potest moueri per accidens, v. g. punctum ad motum lineæ, & Anima rationalis ad motum hominis.

CONCLVSIO XXXIV.

Mundus, (quem Aristoteles verè agnouit esse factum) non est animatus, estq; vnicus tantùm numero, licet secundùm rei veritatem, ex mente Aristotelis possibiles sint plures.

COROLLARIA.

I. Mundus in tempore productus est; potuit tamen ab æterno produci, tàm quoad Entia permanentia; quàm quoad successiua.

II. Is

II. Is vniuersim, & quoad omnes collectim partes spectatus, est perfectus eâ perfectione, quæ opponitur imperfectioni priuatiuæ; at verò distributim, quoad singulas partes sumptus, est perfectus essentialiter, licet non accidentaliter.

III. Mundus in eo statu, in quo nunc est, de facto non est duraturus in æternum; durabit tamen post diem iudicij in perpetuum, quoad cælos, & elementa, sed sub alio statu perfectiori.

IV. Primi Parentes nostri, conditi sunt cum perfectâ scientiâ rerum omnium naturalium: Sed Adamo vltra hoc, per accidens infusa fuit scientia supernaturalis, quâ cognouit Mysterium SS. TRINITATIS, & Incarnationis; non tamen Redemptionis.

V. Ex motu, qui in mundo fit, rectè per demonstrationem à posteriori, colligitur dari primum motorem, accipiendo mouens, & mobile per se.

CONCLVSIO XXXV.

Cœlum, non est vllum ex quatuor elementis, sed est corpus mobile, simplex simplicitate mistionis; compositum tamen ex Materiâ, & Formâ.

COROLLARIA.

I. Materia cœlestis, à materia sublunari specie differt; cœli verò à sublunaribus genere differunt.

II. Cœli ab intrinseco, sunt ingenerabiles, & incorruptibiles; ab extrinseco tamen deficere possunt.

III Suntq; numero mobiles decem, vndecimum immobile, animati dici non possunt, nisi impropriè.

IV. Simpliciter sunt nobiliores inanimatis sublunaribus; animatis verò tantùm secundùm Quid.

V. Quò superiores, eò nobiliores; hic tamen ordo nobilitatis inter astra non seruatur.

CONCLVSIO XXXVI.

Planetæ ſunt ſeptem, Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus: tres primi minores terrâ, quatuor reliqui maiores eadem.

COROLLARIA.

I. Quodlibet cœlum Planetarum, non eſt vna ſimplex ſphæra, ſed compoſita ex excentricis, concentricis, & epicyclis.

II. Planetæ non ſunt partes cœlorum, ſed diſtinguuntur ſpecie, tum inter ſe, tum à cœlis, quibus inſunt.

III. Omnes planetæ, & cæli, habent aliquid natiui luminis; maximam tamen eius partem à ſole mutuantur.

IV. Maculæ, quæ apparent in lunâ, ſunt partes rariores corporis lunaris, permittentes ſolis radios vlteriùs tranſire.

V. Partes lunæ maculoſæ, non habent tantam raritatem, quantam aliæ cœlorum partes.

CONCLVSIO XXXVII.

Stellæ, aliæ ſunt fixæ, quæ non mouentur, niſi ad motum ſui cœli, videnturq; ſcintillare; aliæ erraticæ, quæ proprium motum habent.

COROLLARIA.

I. Stellæ, tàm fixæ, quàm erraticæ, in rei veritate non ſcintillant

II. Scintillatio, quæ apparet in ſtellis fixis, cauſatur ex nimiâ diſtantiâ earundem à terra, & à non ordinata ſpecierum in formali organo, viſus receptione.

III. Numerus ſtellarum etiam minutarum, quæ clarè videri non poſſunt, ſoli Deo cognitus eſt: At verò ſtellæ omnes firmamenti viſibiles, ſunt 1022. quæ interdum non apparent, quia ſolem ſibi propiorem habent.

IV. Vnde ſtellæ, quæ in oriente ſcintillabant, vbi ad verticem cœli perueniunt, non ſcintillant.

V. Scin-

V. Scintillatio verò Planetarum, circa horizontem positorum, tunc accidit, quando vapores crasſiores, à terra aſcendentes, aërem opplent.

CONCLVSIO XXXVIII.

Omnes cœli mobiles mouentur, quotidie motu raptus, ſupra polos, & axem mundi, ſpatio viginti quatuor horarum: qui motus non cauſatur effectiuè, à forma intrinſecâ, neq; à Deo immediatè, ſed ab Intelligentijs.

COROLLARIA.

I. Præter motum raptus, ſeu diurnum, conuenit cœlis motus proprius; motus verò circularis, eſt illis naturalis, ſolùm ex parte principij paſsiui.

II. Intelligentiæ mouentes cœlos, ſunt Angeli ſecundæ Hierarchiæ, ex ordine virtutum, cuilibet verò orbi, etiam epicyclo adeſt ſpecialis motor.

III. Ceſſante motu cœli, non ceſſaret in his inferioribus actio illuminationis, & immutationis medij à ſenſibilibus.

IV. Ceſſarent tamen omnes motus ſublunarium, & omnis actio tranſmutatiua materiæ, ad quam ſequitur generatio, & corruptio.

V. Nihilo minùs certum eſt, quia motus aſtrorum aliquando deficiet, & cœli in hoc ſtatu, in quo nunc ſunt, de facto non durabunt in æternum, ſed in alio perfectiori.

CONCLVSIO XXXIX.

Aſtra, & omnes cœli, ne quidem Empyreo excepto, verè, & phyſicè agunt in hæc ſublunaria, idq; non ſolùm per lumen, & motum, ſed etiam per qualitates occultas.

COROLLARIA.

I. Vnde ad productionem rerum sublunarium inanimatarum, concurrunt, & influunt cœli, vt causa principalis.

II. Ad productionem verò viuentium quorumcunq;, solùm vt instrumentum intelligentiæ motricis. Cæterùm in intellectum, & voluntatem humanam, non nisi per accidens, & indirectè.

III. Homo influentijs cœlestibus, tantùm secundùm corpus subest, secundùm intellectum Angelis, secundùm voluntatem Deo.

IV. Ex influentijs Astrorum, possunt Astrologi prædicere certò, & præuidere futuros euentus, qui ex solo motu, & ordine cœlorum pendent.

V. Similiter possunt diuinare infantis temperamentum, & ex illo propensiones sensitiuas: licet talis diuinatio in praxi, non posit haberi pro certâ.

Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Admodum R̄ndi Domini,

D. ANDREÆ KVCHARSKI

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Professoris,

Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis CANONICI, Collegiatæ Eccl: OMNIVM SANCTORVM PRÆPOSITI, Contubernij Hierosolymitani PROVISORIS, & Studij Almæ Vniuersitatis CRACOVIENSIS

GENERALIS RECTORIS

VIGILANTISSIMI.